

Dozy
*De causis cur
Mohammedano-
rum cultura.....
corrupta sit*

1869

Ne
137




144

№ 134



REINHARDI DOZY
ORATIO.





ORATIO

DE

CAUSIS CUR MOHAMMEDANORUM
CULTURA ET HUMANITAS

PRAE EA QUAE CHRISTIANORUM EST

IMMINUTA ET CORRUPTA SIT

QUAM HABUIT

REINHARDUS DOZY

DIE VIII FEBRUARII A. MDCCCLXIX

In Academia Lugduno Batava

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD E. J. BRILL

ACADEMIAE TYPOGRAPHUM

1869.



Leihgabe an die
Deutsche Morgenländ. Gesellschaft

UB 1943/153



AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Duodecim vultures quos Romulus vidisse dicebatur, duodecim saeculorum imperium Romanis portendere responderant haruspices, et quod praedixerant eventu est comprobatum. Quum Sidonius Apollinaris Romam induceret ita rogantem:

Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus aruspex
Portendit?

brevi imminebat imperio Romano in Occidente interitus: parebat Urbs et provinciae dominis barbaris, quos Germanicae sylvae in Italiam effuderant.

Trahebat quidem Imperium in Oriente miseram et deformem vitam per multa saecula, sed opimis provinciis spoliatum, namque Syria, Aegyptus, superiora Africae et Sicilia praedae cesserant nationi, veteribus prope incognitae, quae

repente voce prophetae excita ex suis desertis proruperat et torrentis instar incredibili robore et celeritate, quocumque rapacitas trahebat, invadebat omnia.

Colliduntur nunc inter sese duo populi, infestis animis ambo, cuncta ad se rapientes, Germani et Arabes. Certamina inter eos, quibus et stirps diversa et diversae emolumentorum rationes et imprimis diversa religio et sacra, totam medii aevi historiam contexunt. Ex illa diuturna contentione sine controversia illi qui Mohammedem sectabantur discessere superiores. Christianis quidem contigit ut aliquantisper Terram sanctam armis obtinerent et Hierosolymis, quae Mohammedanis quoque sacra urbs erat, regnum conderent; sed breve illud imperium fuit neque iis ex cruciatis expeditionibus ullum stabile emolumentum natum est. Contra Mohammedani per saecula regiones Christianis ereptas in potestate retinuerunt. Praeter eas quas diximus, Hispanias quoque dominis Germanicae originis per vim extorserant, et tandem deleto imperio Byzantino, sedem imperii in urbe, cui Constantinus Magnus nomen dederat, constituerunt.

Sed quamquam in his quoque multo erant superiores, aliquanto maius et gravius, si humanitatem spectemus, erat in illis momentum et pondus. Quod ad artes attinet, fateor, Arabes et Germani (et Germanorum nomine dico et qui in Germania remanserant et qui occupatis Imperii Romani pro-

vinciis nova regna condiderant) Arabes igitur et Germani erant prope pares, quamquam pro diverso utriusque ingenio artes colebant. Apud utrosque poësis potissimum et architectura florebant. Sed quanta inter utrosque diversitas si disciplinas spectes et scientiae modum, quanta ad singulos de populo atque adeo ad maximam gentis partem pervenisset! Apud hos supina ignorantia, inscitia rerum vulgatissimarum. Nemo eques diplomati nomen subscribere potest; vix crucem pro nomine ponit, et plerumque ne hoc quidem, sed facit pro eo notarius. Apud illos diligenter excolta institutio, ut tuto asseverare possis inde ab anno octingentesimo, excepta plebecula et vulgo rusticorum, neminem unum in Mohammedanorum numero fuisse, qui non legere saltem et scribere sciret. Et multo etiam plura sciebant plerique, namque omnes quae quidem tunc erant disciplinae ab Arabibus sedulo colebantur, et si quis, ut aequitas postulat, illorum doctrinam exigit non ad nostram, sed ad Graecorum et Romanorum, magnam movebit admirationem. Singulari sollertia ingenii disciplinas mathematicas et physicas et medicas ab antiquis traditas in se receperant, easque augebant, si minus magna inveniundo, at certe diligenter et patienter observando. Ubi reperias inter Christianos medii aevi botanicum qualis Ibn-al-Baitâr fuit, qui, quum Dioscoridis scripta et Galeni et popularium suorum accuratissime cognovisset, per Hispaniam, Africam superiorem, Aegyptum, Syriam, Italiam,

Graeciam et alias nescio quas regiones peragravit, ut ubique harum rerum peritos consuleret, singulas plantas exacta cura exploraret, cum superiorum descriptionibus compararet easque pro re nata aut corrigeret aut suppleret, ut denique fructus diuturni laboris in magnae molis opere exponeret, quod est monumentum aere perennius? Ubi geographum invenias qualis est Edrisi, qui copiose et fideliter orbem terrarum totum descripsit, qui urbes et pagos Europae mediae et superioris tam bene cognitos habebat atque Indiae et regni Sinensis et Nigritiae? Nihil antiquitas protulit quod cum illo giganteo opere componi possit, et multum temporis praeterire debuit antequam nova aetas opus prodire videret, quod aequiparari posset illi, cuius auctor Arabs saeculo duodecimo fuit. Praeterea ubi reperias in Europae parte, quam Christiani habitabant, philosophum et historicum qualis est Ibn-Chaldun, qui insigni mentis acumine rerum causas et effecta perspiciebat, et causas indagaret cur magna imperia aut tollerentur in altum aut ruerent, adeo ut expectari debuerit donec Vico et Montesquieu nascerentur, ut inter nos illius aemulos haberemus. Quid habent Christiani quod illis opponant? Quid effecerunt quod illis palmam dubiam facere posset? Nihil prorsus. Ut inter sese comparari possint ad inferiora descendendum. Agedum comparato mihi aliquis narrationes Christianorum, qui Terram sanctam adierunt, cum narratione Arabis, qualis est Ibn-Djobair, qui

ex Hispania profectus Meccam visit. Tenebit te aliquamdiu Christiani sincera fides et candor puerilis; mox cum dolore senties hominem angusti et obtusi animi perpauca ex iis quae contemplatus est intelligere, et saepe tibi fastidium movebunt homunciones, unde tam pauca discas et in quibus tam multa te offendant. Specta mihi contra hominem Mohammedanum! Tempestate delatus est in insulam, quam non erat consilium adire: appellit Messanam, et ex eo casu nascitur nobis Siciliae descriptio regnante rege Normandico Guilielmo Bono, quae tam expressa, tam plena rerum summi momenti est, ut paria his frustra quaeras apud scriptores Sicilienses aequales, vel apud Hugonem Falcandum, qui aetatis suae Tacitus appellatus est.

Itaque illis temporibus erat illic lux, hic tenebrae. Sed omnia conversa sunt in contrarium. Actum est de Mohammedanorum potentia; nonnullae ex opimis illorum regionibus cesserunt Anglis, Gallis, Russis, nobis Batavis. Propterea supersunt Turcia et Aegyptus, quia Christiani sibi inter se has possessiones invident. Et ubi est illa superior intelligendi facultas qua olim anteibant reliquos? Qui nobis antehac magistri erant adeo degenerarunt ut ne discipuli quidem nostri fieri possint. Cahirae nuper complures libri, quibus disciplinarum scientia continetur, e Gallico sermone in Arabicum conversi sunt, sed nihil prosunt, quia popularium captum superant.

Est, opinor, operae pretium huius rei causas indagare. Itaque hoc solemnī die in animo mihi est dicere *de causis cur Mohammedanorum cultura et humanitas prae ea, quae Christianorum est, imminuta et corrupta sit*. Est mihi in ea re magnopere opus ut me non minus benevolis quam attentis animis audiatis, namque non sunt omnes causae perinde faciles ad indagandum et occurram satietati non omnes quas noverim enumerando; continebo me inter gravissimas.

Primo loco nomino Mohammedanorum religionem. Quodsi illa religio nil nisi norma esset pie sancteque vivendi, cave-rem sedulo ne illam primam esse causam ponerem cur senium et labes apud illos nata sit, namque ab illa quidem parte natu minor Iudaismi filia neque a matre multum discedit, neque a maiore sorore Christianismo. Quin etiam ulterius progredior. Contendere ausim Coranum melius cum recentioris aetatis ingenio convenire et commodius ad huius saeculi opiniones flecti posse, quam Vetus et Novum Testamentum. Sed Coranus, Prophetae sententiis et constitutionibus suppletus, idem est omnis iuris principium et fons. Ab initio, idque diu tenuit, salutaris admodum ea res fuit, quoniam quae antea aut omnino non, aut utcumque iure longae consuetudinis male observato constituta fuissent, nunc ad certas regulas definita erant a praeclaro viro, longe supra aequalium captum evector. Sed paulatim haec ut omnia humana consenescere coeperunt, et erat in perpetuum suc-

cisa spes omnis, fore ut emendarentur, quemadmodum meliorum temporum ratio postularet. Questus est summus Germanorum poëta, leges et iura, veluti morbum perpetuum, haereditate transmitti, et si ea querela ex parte tantum cadit in societatem nostram, verissima est in Mohammedana. Quicumque illic ius corrigere aggreditur, ipsi religioni manus sacrilegas iniicit: namque illic ius condidit Ingenitum Verbum Dei (eo enim loco Coranus habetur) et sententiae falli nesciae summi et ultimi prophetarum. Ecquid mirum succubuisse tandem aliquando populum oneri legislationis immutabilis ac veluti in saxum conversae? Quid factum esset nobis, si etiam nunc apud nos sententiae iudicum ferrentur ex Capitulariis Caroli Magni, vel, ut sacrum librum dicam, ex Lege Mosaica? In nonnullis etiam in nostrum ius Biblia sacra vim suam exercuerunt, non tantum medio aevo, quum magna iis esset auctoritas, sed etiam recentiore memoria. Nonne recordamur omnes, quo pacto nonnulli, argumentis ex Sacra Scriptura petitis, obsisterent quominus servi in libertatem restituerentur? Nonne novimus, quibus impedimentis Ecclesia matrimonium civile prohibuerit et ad hunc usque diem in Austria prohibeat? Nobis tamen illa impedimenta aequis animis perseverando removeri poterant; at Mohammedano necesse est aut his difficultatibus cedere, aut Mohammedanum esse desinere. Divinae v. c. et immutabiles (nam immutabilis est voluntas Dei) habentur apud veros fideles

leges de nuptiis, ex quibus ut ex uberrimo fonte magna manat morum corruptela, non adeo quia polygamiam permittunt, sed quia divortia tam facilia faciunt ut illic matrimonia vix mereantur eo nomine appellari. Sed cur plura? Quicumque Mohammedanam societatem vel aliqua ex parte habet cognitam, novit centena de genere hoc dari, et simul novit nullam spem esse apud illos aliquando haec meliora fore, quoniam notionem legis divinitus patefactae, et omnibus temporibus populisque ratae, summa ope retinent.

Secunda causa in eo est posita quod Arabes, novorum regnorum conditores et a natura multis ingenii dotibus praediti, sua ipsorum socordia et civilis prudentiae inopia magis magisque a populis augendae humanitati minus aptis de loco deiciebantur. Ostenderant se facile nova imperia acquirere posse, sed simul ostenderunt se bene moratam civitatem, in qua quies et otium cum aequa omnium libertate consistere, condere et stabilire non posse.

Quum essent ab origine Nomades, libertate usi fuerant nullis finibus circumscripta. Principibus, quos sibi praefecerant ipsi, nullum erat ius imperandi: contra debebant sedulo cavere ne forte popularium ferociam et morositatem excitarent, quominus aut statim desererentur, aut potestate exuerentur; et si suos ad aliquam rem suscipiendam impellere vellent, id solum efficere poterant si facunda oratione ipsorum animos et mentes commovissent. Abhorrebant ab



omni notione auctoritatis, et ubi nemo cuiusquam auctoritatem reveretur, neque officium est communi omnium duci parere, ibi nullo modo aut stabile imperium, aut iustam rerum moderationem et regimen licet expectare.

Potest tamen, fateor, populus suam naturam et indolem, si minus mutare, at certe mitigare et corrigere. Non erat necesse Arabes, quum in Perside et in provinciis Romanis certas ac stabiles sedes cepissent, effrenatam illam ex desertis libertatem retinere. Poterat ingenitus libertatis amor mitigari; poterant paulatim regimini ordinato assuefieri. Poterant; sed hac certe lege: ut aequis conditionibus inter ipsos et ipsorum regem ita conveniret, ut de suo iure utriusque aliquid remitterent. Neque rex potestatem nullis coercitam finibus appetere debebat, neque qui regi parebant veterem sine frenis licentiam. Nostra Christianorum per medium aevum historia viam qua esset eundem demonstrat. In re magna et gravi consuluntur a rege optimates et clerus, postea civitates quoque. Iacta erant fundamenta rerum constitutionis, qualem nunc habemus. Ferebat eandem rei progressionem Arabum quoque indoles; namque quamdiu Nomades fuerant de qualibet re graviore patres familiarum in commune consulebant, unde veluti senatus quidam existebat, qui principem consiliis adiuvabat. Ad hunc usque diem in deserto ita fieri assolet. Quare his fundamentis tam bene iactis nihil superstructum? Causa, opinor, in promptu est.

In tantam molem excreverat et coalescens natio et regnum, ut Patrum familias omnium congregatio in unum nullo pacto locum habere posset, quoniam congregatio huiusmodi non nisi in una tribu aut in urbe una aut cogitari potest, aut unquam facta est. In huius locum debebat succedere is modus, ut pauci a multis creati pro omnibus sententias dicerent. Sed huius instituti notio neque Arabibus in mentem venit, neque ulli antiquae reipublicae aut monarchiae, et si cuius animum cogitatio huiusmodi subiisset, vereor ne pro re absurda reiecta fuisset, iisdem fortasse de causis quamobrem a Rossavio repudiata est. Quid igitur erat reliqui? Nihil praeter infinitum unius hominis imperium. Sed illi rei neque assueti erant, neque ullo pacto id ferendum esse arbitrabantur; atque sic factum est ut caliphatus primum, deinde partes ex eo abscissae, in perpetuas seditiones et inextricabiles turbas implicarentur. Regibus adversus ea idem ubique remedium. Peregrinos mercede conducebant, Sclavonios, Turcas, Berberos, Nigritas, Christianos ex Hispania Italiave, qui nulla necessitudine communis emolumenti coniuncti cum popularibus, quorum ne linguam quidem callebant, omnes resistendi conatus per vim opprimebant. Vincebant iniqui dominatores; sed brevis erat illa victoria, quia ipsi ubique satellitibus suis servire cogebantur, qui veteribus dominis vel umbram potestatis eriperunt, imperio exuerunt et ipsi regna capesserunt, quibus

tuendis ab initio vocati fuerant. Sic vera et genuina regna Arabum interierunt: exeunte medio aevo nulla supersunt: praedae fuerunt peregrinis, qui religionem quidem Mohammedanam receperant, sed humanitatis sensum et amorem non habebant.

Tertia causa cum his quae diximus coniuncta est. Sita est in caecitate illorum qui in fide magis atque magis inanem auctoritatem amplectebantur et fanatismo furebant. Memorabile est in ea re discrimen inter orbem Mohammedanum et Christianum. Apud Christianos primis saeculis animus est puerilis et quidquid Ecclesia praedicat caeca fide admittunt. Diu duravit antequam nonnulli vocem contra tollerent, sed prodierunt tamen aliquando. Impetum faciunt primum in dogmatum interpretationes, deinde ipsa dogmata petunt. Saeculo XIII iam acriter pugnatur. Saeculum XVI vidit magnam seditionem, et Europae pars dimidia a matre Ecclesia divellitur. Ulterius progressi sunt saeculo XVIII et XIX. Nihil attinet de his plura dicere. Scimus omnes quo pacto paulatim Ecclesiasticae auctoritatis vinculis soluti simus; quo pacto cum multa difficultate aegre nunc procedendo, nunc retro relabendo, tolerantia crescat, et religio, magis magisque ex cuiusque captu et iudicio pendens, in animis mentibusque singulorum haereat. Alia apud Arabes ratio; ab alio principio profecti ad aliam metam pervenerunt. Primi Mohammedani plerique omnes tam multum abest ut, quemadmodum olim vulgo

putabant, meri fanatici fuerint, ut potius religionem parum curarent et quadamtenus ab ea essent alieni. Quum essent suapte natura parum religiosi, desertorum incolae nova sacra metu magis Prophetæ quam ex animi sententiâ acceperant. Deinde illo mortuo arripuerant occasionem excutiendi iugi et in politicis rebus et in religiosis. Vi armorum iterum subacti sunt; sed ferebat rei natura ut specie magis quam re Islamismum colerent, et pro certa et inconcussa fide, quæ spectatur primis sæculis in Christianis, prima Islamismi sæcula scepticismum minime occultum ostendunt, et derisionem, quæ sæpe Voltarii risus in memoriam revocat. Non Arabes — excipimus, ut par est, ipsos Mohammedis amicos discipulosque — sed populi victi et ad novam fidem conversi, Persæ, Berberi, Hispani, Islamismum serio admiserunt, et per illos factum est ut vim suam totam exsereret. Islamismi historia igitur est historia fidei semper auctæ, quæ fiebat intensior acriorque quo magis illæ gentes præpollebant et Arabum potentia minuebatur; et denique quum peregrini mercenarii rerum potiti essent, pristina tolerantia, ex religionis negligentia olim nata, locum fecit fanaticismo, diversa sentientes furiose insectanti.

Fieri non poterat quin institutio quoque superior inferiorque harum rerum effectum experiretur. Utriusque historia in Oriente iterum mirum in modum differt ab iis quæ in Occidente acciderunt.

Tam apud nos quam apud Mohammedanos inferiores scholae ab Ecclesia originem sumserunt. Nostis in Europa saeculares scholas saeculo VII miserum in modum defecisse et in illarum locum subiisse ecclesiasticas. Diutissime institutio penes clericos fuit et apud multos adhuc est. Quoniam scholae inferiores solae a maxima puerorum multitudine frequentantur, atque adeo solae ad augendam totius gentis intelligendi facultatem appositae sunt, primas omnium constitutas esse oportebat ad eum modum, qui esset maxime idoneus ad propagandam doctrinam in omnibus quibus ea erat opus, id est in unoquoque; sed plerumque ipsae potissimum negligebantur. Vulgari opinione magis id piae beneficentiae opus esse existimabatur quam officium eorum, qui summae rei praeerant; et fortasse in nulla alia re illi, quibus erat maxima rerum omnium potestas, socordius officio suo defuerunt quam in hac ipsa. Tandem aliquando res in melius conversa. Praesertim post res novas in Gallia data opera est ut institutio, ex clericorum manibus erepta, ad civilis potestatis arbitrium transferretur. Multum abest ut id perfectum sit. Clerici, ubi pristinam potentiam retinent, pertinaciter repugnant, et etiam ubi iam videbantur manus dedisse, conantur nunc amissa recuperare. Nondum licet nobis victoria gloriari; sed strenue posuimus principium, quod quantivis facimus, et summa virium intentione id tueri enitemur.

Apud Mohammedanos contra scholae inferiores penes sacerdotes remanserunt, et non progressae sunt, sed retro relapsae. Exorsi sunt semper a Corano, qui male cohaerens et incipientibus nimis difficilis liber est. Itaque merito saeculo XIII Mohammedanus aliquis acutior exclamavit: «O stolidam gentem nostram: a libro divino auspicari puerum iubent, quem librum ita legit ut nihil intelligat!» Antiquitus tamen non erat Coranus unicum institutionis fundamentum. Etiam saeculo XIV, quamquam late pateret fanaticismus, in Hispania et Africa propria in scholis inferioribus classici poëtae et scriptores explicabantur. Sed non erat eadem ubique ratio. Eadem aetate in regionibus admodum fanaticis, veluti in Mauritania, mos invaluerat, nil praeter Coranum docere, exclusis reliquis omnibus. Tales progressu temporis omnes ubique scholae factae sunt, tales sunt hodieque. Neque tamen omni laude carent. Legendi usus etiam nunc pervulgatus est in Mohammedanis regionibus: e. c. in Algeria pro incolarum numero plures sunt viri indigenae legendi periti quam in Gallia. Tenuis tamen fert institutio fructus; nam pueri, postquam discendi finem fecerunt, praeter legendi scribendique facultatem, nihil nisi complures Corani locos didicerunt memoriter, neque eos quidem, propter linguam antiquatam, satis intelligunt. De caeteris omnibus, quos nos institutionis fructus esse ducimus, nil prorsus noverunt. Sic evasit Mohammedanus homo angusti animi,

ignarus rerum omnium, neque culturae neque humanitatis insignioris capax; et quae de verbo divino pauca se intellexisse opinatur, ea non aliud efficiunt nisi ut diversa sentientes inexpiabili odio persequatur.

Superiores quoque scholae sive Universitates apud nos, ut constat, ut plurimum ab Ecclesia profectae. Multae aut conditae aut stabilitae a Pontificibus, qui sperabant sese Universitatum doctores orthodoxae fidei propugnatores habituros et reapse habuerunt. Primarium locum occupabat Theologia, et reliquas quoque disciplinas Pontifex M. molesto freno coercerat. Protestantium Universitates his quidem vinculis erant solutae, sed diu illarum quoque cervicibus impositum fuit iugum Ecclesiae dominantis, quod iugum nondum excusserunt Universitates Oxoniensis et Cantabrigiensis, quibus non sunt aliae in tota Europa neque opulentiores neque steriliores. Nec mirum: namque illae Universitates, sicuti nostra, conditae erant potissimum ad Theologiae emolumentum. Sed in eo statu non manserunt: caeterae disciplinae magis magisque suum ius vindicare coeperunt, et Theologia, olim praepollens et inique dominata, nunc seras pristinae arrogantiae luit poenas. Exclusa est enim ab liberis Universitatibus quae nostra memoria Londini et Bruxellis conditae sunt. In patriam nostra sunt multi qui illam in scientiarum numero habendam esse negant; et quod maius est, Ministrorum Rerum collegium, ac tale collegium (id

quod sane memorabile) cui magis conservandarum rerum quam novandarum studium consiliumque erat, tale inquam collegium Theologiam ab Universitatibus nostris remove volebat.

Apud Mohammedanos iterum rerum cursus plane in contrarium se convertit. Illorum Universitates, et ipsae conditae ob Theologiam et quae in Oriente cum Theologia fere coalescit Jurisprudentiam, primum numquam tantum scientiarum ambitum complexae sunt, quantum iam diu nostrae complectuntur. Medicinam nonnullae docebant, eaeque paucissimae, omnino nullae Mathematicas et Physicas disciplinas, neque Historiam, neque caetera. Qui ea studia sequi vellet quaerebat sibi alios doctores, quo factum est ut litterarum Arabicarum pars praestantissima nata sit extra Universitates et nonnumquam Universitatibus invitis. Ab initio statim Seminariis quam Universitatibus similiores, quo magis in Mohammedana societate verae humanitatis semina exarescebant, eo magis in illis angusti animi ineptiae gliscebant; et tantum abest ut nunc rerum utilium notitiam spargant, ut potius nil nisi superstitionem, inscitiam, fanaticum et intolerantiam foveant pariantque.

Necesse mihi fuit miserrimum statum scholarum ultimo loco ponere, quoniam illa calamitas ex aliis causis nata est, quas prius exponere oportebat. Sed confidenter quaero ex omnibus, nonne haec una res satis explicet cur ad tantas

miserias Mohammedana societas sit redacta. Si quas dotes alma natura ingeniis puerilibus indidit, earum semina institutio huiusmodi statim enecat. Non acuitur, sed hebescit ingenium. Ubi adolevit, ipsius soboles eodem modo ac fortasse etiam peiore depravabitur; namque illa pestis suapte natura semper gliscit et semper magis exitiosa fieri solet, adeo ut in Mohammedanos quadret quod dixit Poëta:

Damnosa quid non imminuit dies?

Aetas parentum, peior avis, tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitiosiore.

Utinam ne umquam illa pestis patriam nostram invadat! Optandum id quidem et votis expetendum est hac aetate, dum debacchantur apud nos factiones Ecclesiasticae, quae si umquam id quod affectant assequi poterunt, futurum est ut nos quoque sensim et pedetentim eandem pestilentem et exitialem viam ingrediamur, quae Mohammedanos ad hanc perniciem deduxit. Agetedum, quotquot sumus lucis et veritatis amatores, et scientiae, vinculis ecclesiasticis solutae ac plane liberae, vindices, iungamus clypeos, consociemus arma, et summa ope enitamur ne nostram patriam, nostram humanitatem talis calamitas opprimat; — et si forte numerus eorum qui, foedis cupiditatibus abrepti, nostra castra deserunt et ad hostes transfugiunt, semper augebitur; si forte,

quod Deus avertat, ad extremum venietur, ac tenebrae, quarum his paucis annis insigniter potentia crevit, fugabunt lucem, obtestamur posteritatem, ut aliquando dicat testimonium, fuisse virorum agmen, qui in acerrimo proelio et in praesentissimo periculo semper intrepidi et inperterriti pro humanitatis causa steterint, idque agmen fuisse Academiam Lugduno Batavam!

D № 134

ULB Halle
000 862 541

3/1



